

De quinque zonis sphaerae per quatuor parallelos minores circulos
sphaerae distinctis, in circuitu etiam terrae consideratis.

CAPVT V.



Ortus orbis terrae in quinque diuiditur Zonas, perinde atque caelum in cuius medio continetur. Est autem Zona caeli, sicut & terrae, plaga inter duos parallelos contenta. Sunt autem tantum quatuor paralleli circuli in sphaera eas quinque zonas distinguentes. Nam extremas duas zonas distinguunt duo Arctici circuli; nam quicquid caeli & terrae intra hos duos circulos includitur, zona dicitur. Sic & quicquid inter duos parallelos comprehenditur, caeli & terrae, zona dicitur. Dicitur autem duae zone eiusdem temperiei, absuntque remotissime a uia Solis, quo etiam fit, ut haec duae extremae polis mundi subiectae, ab antiquis inhabitabiles propter frigus habitae sint, quoniam Solis accessum nunquam fortiuntur, circa quas Mare glaciale est. Nunc autem nostris temporibus habitatae, quamuis, ut dicitur, minus commode, ibi uastae solitudines ac inculti homines, ut probant Ibernia, Norduegia, Gottia, Liuania, illis conterminatae. Media autem zona inter duos tropicos Cancris, s. & Capricorni, inter quas uia Solis est, propter caloris excessum mortalium habitationi iuxta ueteres parum apta, torrida igitur ab eis uocata. Nunc uero ibidem aer temperatissimus experimento inuentus est, propter assiduam dierum noctiumque equalitatem, ita quod lux Solis calefecerit per 12. horas diei, id tenebrae per reliquas 12. noctis refrigerant. Verum tamen apparet, quod maior sit eis in estate caliditas quam nobis, tamen ista caliditas est complexioni eorum proportione nata. Nos enim uidemus omnes illos esse nigros; ut Aethiopes, Arabes, Indos, & omnes in hac zona; colericos, crispas, distortos & adustos ex uehementi calore. Sic licet uni ex nobis, hic in Europa nato, non conueniret subita mutatio, ut habitaret apud illos, tamen eis conueniens est habitatio. Illa sunt etiam de intentione Auicennae capitulo primo Doctrinae tertiae primae Fen, primi canonis, ubi dicit. Cum regiones attenderimus, certificatum nobis erit, quod si fuerit locus qui inhabitatur sub equatore diei neque aliqua de rebus terrenis impedierit, uidelicet montes aut maria, oportebit, inhabitantes equalitati certe propinquiores existere, quam alicuius regionum. Aequalitatem autem certam, uocat optimam hominis complexionem. Deinde soluit argumentum iam adductum: Ego uero Ptolemaeum uehementer admiror, quoniam in capitulo sexto secundae dictionis Almagesti inquit de linea Aequinoctiali: Quidam autem dicunt, quod possibile est, ut sit illud quod est sub hac linea aequidistanti ex terra habitabili, ideo quod eius complexio est ualde bona, eo quod Sol non prolongat obumbrationem suam supra puncta summitatis caput, propter uelocitatem suae declinationis ab Aequatore diei, & propter hoc sunt aestas & hyems bonae complexionis, propter breuitatem longitudinis Solis a summitate caput in utrisque tropicis. Hoc autem quod dicitur est secundum aestimationem & putatur. Vtrum uero illud quod est sub hac linea habitetur, nos huius scientiam non comprehendimus, quoniam nemo eorum peruenit ad eam, qui sunt in nostris regionibus habitabilibus usque ad diem hunc nostrum &c. haec sunt uerba eius. Ipse tamen in Cosmographia multas regiones & ciuitates sub Aequinoctiali descripsit. Neque puto quod ipse dum componeret librum Almagesti, scientiam Cosmographiae non habuerit, cum in capitulo ultimo huius secundae dictionis polliceatur se scripturum hunc librum Cosmographiae. Reliquae duae zonae scilicet ea quae inter tropicum Cancris & Arcticum circulum, in qua nostrae sunt habitationes, & ea quae inter tropicum Capricorni & Antarcticum circulum includuntur, temperatae sunt, ideo habitationi hominum conuenientes, contemperantur enim calore mediae Zonae, & frigore extremarum, quemadmodum subiecta figura pro parte demonstrat.

Nec